

Infra actionem.

(A.) Hanc igitur oblationem, quam tibi pro commemoratione animarum in pace dormientium sup-

A pliciter immolamus, quæsumus, Domine, benignus accipias, et tua pietate concedas ut et nobis proficiat hujus pietatis affectus, et illis impetrat beatitudinem sempiternam.

GRIMALDI ET TATTONIS

AD REGINBERTUM,

Magistrum Scholæ monasterii sancti Galli,

EPISTOLA.

(Apud Baluz., Capitul. tom. II, col. 1382

Præstantissimo et ineffabili dilectione nominando B
REGINBERTO præceptorि GRIMALDUS TATTOQUE supre-
mi auditorum vestrorum discipuli sempiternæ felici-
tatis salutem.

Memoria dilectionis vestræ animis nostris sedulo
inhærens immemores petitionum vestrarum promis-
sionumque nostrarum esse non permittit. Et utinam
tam proficenter quam spontanee piam voluntatem
vestram implere valuissemus. Ecce vobis Regulam
beati Benedicti egregii doctoris, quam benevolus ani-
mus vester summo semper optaverat desiderio, di-
reximus, sensibus et syllabis, necnon etiam litteris
a supradicto Patre, ni fallimur, ordinatis minime
carentem; quæ de illo transcripta est exemplare,
quod ex ipso exemplatum est codice, quem beatus
Pater sacris manibus suis exarare ob multorum sani-

tatem animarum curavit. Illa ergo verba quæ supra-
dictus Pater secundum artem, sicut nonnulli autu-
mant, in contextu Regulæ hujus non inseruit, de
aliis Regulis a modernis correctis magistris collexi-
mus, et in campo paginulæ e regione cum duobus
punctis inserere curavimus. Alia etiam quæ a Bene-
dicto dictata sunt, et in neotericis minime inventa,
obelo et punctis duobus consignavimus. Hoc egimus
desiderantes vos utrumque et secundum traditionem
pii Patris, etiam modernam habere. Eligite vobis
quod desiderabili placterit animo. Valete in Domino.

Salve flos juvenum, forma speciosus amœna,
Optatam retinendo viam vitamque salubrem.
Ecce tui humiles famuli tibi munera mittunt,
Quæ animus dudum vester optavit habere.
Omnipotens genitor, cunctum qui continet orbem,
Te regat et servet semper ubique sanum.

ANNO DOMINI DCCCLXXII.

MILO
MONACHUS SANCTI AMANDI.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, Bibliotheca med. et inf. Lat.

Milo, Monachus S. Amandi, sive Amandopolitanus, C ad fluvium Elnonem, in Belgio, in diœcesi Tornacensi, ord. Bened., scientia litterarum clarus circa an. 840 et deinceps usque ad 871, quo diem obiit. Serippsit adhuc juvenis *Vitam S. Amandi*, Trajectensis episcopi, defuncti A. C. 684, versibus hexametricis (e Vita qnam prosario sermone Baudemundus com- posuerat) ad Haiminum, monachum Vedastinum, libris quatuor. Edidit Henschenius in *Actis Sanctor.*, tom. I Feb., pag. 873-888 cum notis; et Mabillonius sec. n*Act. Sanctor.* Bened. pag. 719 seq. Incipit præmissa elegia :

(a) De quo hic agitur sermo, seu potius encomium legitur sub nomine Sidonii Apollinaris inter epistolas

Festa propinquabant nostri veneranda Patroni.

Liber I :

Arbiter omnipotens homiaum rerumque creator.

Sermonem de translatione corporis S. Amandi, ejusque ordinatione et dedicatione templi in *Actis Sanctor.*, t. I Febr., pag. 889-891, et alterum *de elevatione corporis S. Amandi*, p. 891-893, et in *Operibus Philippi Havdengi*, Paris. et Duaci 1621 sol.

Sermonem de S. Principio, fratre B. Remigii Rhe- mensis, episcopo an. 506 defuncto Suessionensi, edi- tum a Surio 27 Septembris (a).

ejusdem. Vide *Patrologiæ* tom. LVIII, col. 612. EDIT.